ORATIO DE APPELLATIONIBVS PANVM, A Melchiore Fendio Doctore Artis Medicæ, in Academia VVitebergensi recitata.

ANNO,
M. D. XLIX.

ORATIO DE APPEL-
lationibus Panum, à Mel-
chiore Fendio Doctore
Artis Medicæ
recitata.

MVLTÆ sunt gra-
uissimæ causæ, propter quas de-
cet hanc testimonij renunciatio-
nem non solum publice, sed etiam
in magna iuuentutis frequentia
fieri, ut ibi & uoce docentium
& ipso ritu commonefacti iuni-
ores discant admirari & amare artes, & Deo pro hoc
summo beneficio gratias agant, quod uitam hominum
instruxit, & ornauit sapientia & artibus, & ad æter-
nam ac cœlestem uitam præparat. Deniq; ut accenda-
tur discendi cupiditas artium dignitate & pulchritudi-
ne considerata. Sit igitur & in hoc nostro congressu
prima hæc uox, quam mecum pijs pectoribus recitate.
Tibi omnipotens Deus, æterne Pater domini nostri Iesu
Christi, conditor cœli & terræ, & hominum & Ec-
clesiæ tuæ, una cum filio tuo coæterno domino nostro
Iesu Christo & Spiritu sancto, sapiens, bone, iuste, ue-
rax, misericors, iudex, caste, liberrime, gratias ago
pro omnibus beneficijs, ac nominatim pro luce doctrinæ
teq; oro ne eam extingui sinas.

Deinde cum ad imitandos aut docendos iuniores aliquid etiam de ipsis artibus dici utile sit, scpe hic uel de toto genere Physicæ doctrinæ, uel de parte aliqua dictum est. Quantum enim possumus in rudibus pectoribus aduersus immanes illos Cyclopes, qui & Deum, & hanc diuinam lucem, quæ in artibus proposita est, furenter contemnunt, iudicia formare conamur. Ac sepeiam dictum est, certe uelle Deum aspici rerum naturam, & hanc considerationem & sapientiam pulcherrimum decus esse hominum, & præcipuum uitæ præsidium,

Cum autem in tanta rerum amplitudine de multis naturæ partibus dici non possit, pauca iam de generibus Panis dicturus sum. Est enim profecto diligentia homine digna uictus sui, & alimentorum uim considerare, & ut Deo pro quotidianis muneribus gratias agat, & ut in fouendo delectus & modus adhibeatur. Eo etiam de pane diligentius cogitemus, quia omnibus temporibus in sacrificijs Deo panes consecrati sunt, quo ritu testari nos Deus uoluit, & uitam & alimenta uitæ ipsius opus & dona esse. Voluit etiam ipsa liba imagines esse cœlestis pabuli, ut postea dicemus. Imo ritus ipse dulcissimam promissionem continet. Cum Deus iusserit sibi consecrari panes, simul pollicetur se daturum terræ fœcunditatem, ut frumenta gignat, sese uelle hanc inopem naturam hominum alere, & fouere, sese postulare, ut & petamus hæc beneficia ab ipso, & agnoscamus ac

mus, ac celebremus autorem. Cum igitur multæ commonefactiones in illis ritibus proponuntur, libentius hanc commonefactionem de uarietate panum instituí.

Initio autem dicendum erat, cur panes præsertim ex tritico facti, sint precipuum nutrimentum, & perpetuum, cuius usus adsiduus homini non intemperanti, & non habenti morbum, non adfert fastidium, ut usus diuturnus omnium aliorum ciborum. Quæ hæc cum humano corpore cognatio est, ut hæc grana ex terra nata, statim in succum corporibus nostris conuenientem uertantur? Hic ad prouidentiam referenda causa est, ut manifestum opus sit prouidentiæ diuinæ, quod fœtus in utero, et postea recens editus alitur lacte cocto in uberibus matris, ita agnoscamus Deum curantem genus humanũ hanc pulcherrimam mundi naturam ita cõdidisse, ut præbeat sedem, cibum, potum, remedia, tegumenta, organa operarum & multa alia uitæ necessaria, generi humano. Sit igitur prouidentiæ testimoniũ hæc alimentorum cum nostris corporibus conuenientia. Nec alias causas a priori Physicus ostendere potest. Sed postea species discernit. Alia materia humano corpori magis, alia minus familiaris est. Holera & poma etsi nutriunt, tamen quia nimis aquosa sunt, diffluit succus, & languidior est. Triticum siccius est, & pingue, & temperate calidum. Ideo & succus fit pinguior & glutinationi accommodatior.

Dicamus igitur iam de differentijs, quarum gradus tres constituam, Primum à materia. Secundum à puritate. Tertium à coctione. Differunt panes primum materia, alij fiunt ex tritico, alij ex olyra, alij ex zea, alij ex hordeo. Cetera genera, quia in nostris regionibus, non sunt usitata, omittam. Et cum hæc recitentur propter auditorum utilitatem, uolumus eis rerum domesticarum appellationes & uires notas esse.

Triticum esse primæ bonitatis frumentum constat, quod græcis est πυρος, nobis Weitzen, recito enim adpellationes nostras, omnibus notas, ut rebus alicubi monstratis iudicari discrimina oculis possint. Sunt igitur optimi panes, qui fiunt ex Tritico, de quorum differentijs postea rursus dicam.

Secundus locus tribuatur ex Olyra factis, ac nomine Olyram, quæ nostro uocabulo adpellatur Rocken, cuius usus in his regionibus populo familiarissimus est, & ut ego iudico, salubris. Et quidem Diocles prætulit Olyram Zeæ.

Zeam autem nominamus eam, quæ nostris est, Spelta seu Dinckel. Etsi autem Galenus inquit, se in peregrinationibus suis, quibus lustrauit magnam Asiæ & Europæ partem, studiose inquirentem, nusquam reperisse frumentũ, cui Zea nomen esset, tamen græcis notum

tum fuisse uocabulũ necesse est, cum toties dicunt Poetæ ζείδωρος ἄρουρα, Et copiose nasci speltam, quã zeam uocamus, in multis Sueuiæ locis manifestum est, ubi & panes ex Zea facti anteferuntur factis ex olyra, & sunt aliquanto candidiores. Sed Mnesitheus uetus Scriptor, inquit, graues & difficiles concoctu esse, nec sine offensione ualetudinis diu uesci eis posse homines non assuetos, aiunt et aluum usu huius generis contrahi, res etiam ostendit succum ex Zeæ granis lentum, tenacem, & uiscosum esse, quare coctionem difficiliorem esse consentaneum est.

Quarto loco numeramus ex Hordeo factos, quo Galenus inquit minus gignere succi, & minus nutrire, quam illa genera, quæ antea recitauit, quia hordei natura frigidior est. Multa autem sunt testimonia homines tenuiores olim multum usos esse panibus Hordeaceis. Ideo enim in uersu ueteri dicitur,

αὐταρκὴς γὰρ ὁ πρέσβυς, ἔχων ἅλα καὶ δύο κρίμνα,

Senex hoc uictu contentus est, sale & duobus panibus hordeaceis. Nam κρῖμνον farinam esse certo modo adparatam ex hordeo traditum est, Et historia Euangelica narrat quinq; panes hordeaceos distributos esse, quibus pauit filius Dei, amplius quinq; millibus hominum, qua narratione multæ significationes adumbratæ sunt. Alitur & defenditur Ecclesia, Deo iuuante, etiamsi opes habet exiguas. Sunt & micæ doctrinæ in

κρίμνον.

ſpeciem tenues, & frigidæ, ſed Deo aſpirante accendunt uitam æternam in cordibus. Plures alias ſpecies addere poſſem, ſed nec huius temporis anguſtia longiorem enumerationem nobis concedit, nec ceteræ perinde notæ ſunt. Non enim iam ſepe ex Seſamo, aut Panico fit panis. Omitto & factos ex diuerſis materijs, ut ſunt Placentæ, Itria, Liba.

Addam uero differentias a puritate ſumptas in his panibus, qui ex Tritico fiunt. Optimus eſt & puriſſimus, qui fit ex Siligine, quam nominant tenerrimam partem, & delicias Tritici.

Minus teneri & puri ſunt panes ex Semidali, quales fere apud nos fiunt ex Tritico candidiores panes.

Tertius gradus nominatur αὐτόπυρος, item σύγκόμισος, qui fit ex tritico cum pollme, Ideo enim appellarunt σύγκόμισον, quia uniuerſa farina, non extuſſo polline, miſcetur.

Quartus gradus eſt Furfuràceus multo etiam impurior, quam σύγκόμισος, ater, ut in rure pinſi uidemus, & minus nutrimenti habens, & κακόχυλος, Diphilus ſcripſit. ut & res oſtendit.

Recitaui differentias à puritate ſumtas, Aliqui putarunt

tarunt has differentias diuersorum esse frumentorum, sed hæc explicatio Galeni est & Aeginctæ, quam secutus sum, & est perspicua, Et congruunt uerba Celsi, qui inquit, Firmius est triticum, quam milium, id ipsum quam hordeum, & ex tritico firmissima siligo, deinde Similà, deinde cui nihil ademptum est, quod αὐτοπυρον græci uocant, infirmior est ex polline, infirmissimus cibarius panis.

Nunc addam differentias à coctione sumptas, quæ nunc quidem non sint uariæ. Olim maior uarietas fuit. Alij sunt Furnarij, seu κλιβανῖται sic dicti, non propter materiæ diuersitatem, Sed quia in furnis more horum temporum cocti sunt. Et aiunt furnos inuentum ægyptium esse.

Alia fuit antiquior consuetudo priusquam furni essent, coquere panes tectos cineribus inter carbones. Hi nominantur ἐγκρύφιαι, quæ adpellatio sepe in sacris libris repetita est, quia in sacrificijs hoc modo cocti panes proponebantur. Quare & ueteres scriptores in Ecclesia in enarratione sacrificiorum dicunt interdum his panibus sacrificari filium Dei iacentem in cineribus, cum pro nobis uictima factus est, Ideoq; in sacrificijs hanc speciem exhibitam esse, ut cogitemus primum de filio Dei sic inuoluto cineribus, deinde & de nostris ærumnis. Oportet enim nos similes fieri imaginis filij Dei. Vritur uera Ecclesia tanquam cineribus obruta, cum uarijs calamitatibus in hac uita exercetur. Ita effi-

cimur in confessione & inuocatione panes Deo consecrati.

Huc & aliæ differentiæ addi possunt, Alij panes sunt fermentati, alij sine fermento, Sed uescentibus utilior est fermentatus, quia cum rarior sit & leuior, facilius concoquitur, & ipsa fermenti natura penetrationem adiuuat. Sunt & figurarum differentiæ, ut βάκτυλος panis est, qui apud nos à rhombi figura, Weck nomen habet.

Hæc adpellationum discrimina nunc collegi, quibus cognitis iuniores facilius legent scripta ueterum, Et nescire adpellationes rerum domesticarum, quæ quotidie in conspectu sunt, turpe est ijs, qui doctrinæ studijs se dediderunt, & ut sermonis uetusti proprietatem tueantur, & ut cognitis uocabulis naturas rerum considerent. Quoties adspicis positos in mensa panes, prima esse de Deo & de prouidentia cogitatio debebat, quod singulari consilio Dei instituta sit cognatio frumenti cum humano corpore, ut uerti in succum, sanguinem, & nutrimentum possit. Seruare nos Deus etiam sine cibo, & sine remedijs poterat, Sed uoluit hanc uitam multis præsidijs indigere, ut cõmonefacti nostra necessitate agnosceremus artem opificis, qui singulis necessitatibus sua præsidia condidit. Inde palam est hanc rerum naturam, in qua præcipuæ partes mirando ordine distributæ sunt, non extitisse casu, sed ab æterna mente architectatrice conditam esse. Deinde et hoc cogitandum est,

dum est, Vere diligi genus humanum a Deo, cum uideamus hoc pulchrum domicilium, cœlum & intra hunc orbem, terram, quæ nobis sedes esset, & plurima terræ ornamenta, præcipue ad utilitatem nostram condita esse. Etsi autem propter infirmitatem naturæ humanæ, ualde negligenter hæc opera & consilia Dei considerantur, tamen repugnandum est infirmitati, Ideo Deus uitam regi uult doctrina & disciplina, ut contra hanc segniciem, quæ nobiscum nascitur, mentes adsuefiant commonefactione doctrinæ & honestis exemplis ad ipsius agnitionem & celebrationem.

Deinde & ualetudinis tuendæ causa, ut de ceteris cibis, ita de panibus queramus, qui facilius in nutrimentum uerti possint, qui cum sint lenti ac minus rari, difficulter uertantur in Chylũ, & gignant sanguinem quasi lutulentum, & obstructiones faciant, quæ interdum lethales morbos adferunt, ut accidit auide uorantibus placentas, aut Itria, quæ sunt ex farina & melle eius generis, quod nos uocamus Hipen. Est autem indigna homine negligentia non habere delectum in rebus præcipue necessarijs ad ualetudinem tuendam. Memini exempla, ubi cum in magno agmine scholastico multi propter panes male coctos periculosis morbis conflictarentur, & animaduersa causa mutatus esset panis, deinde talis offensio ualetudinis non accidit. Tantumq; momenti in pane est, ut cum non recte maturuit Olyra,

ex qua

ex qua postea fit panis, quia materia fere putris est, sequi luem in populo late grassantem usitatum sit. Denic; exempla quotidiana ostendunt, petulanter accersi infinitos morbos propter negligentiam in uictu, qui facilime uitari poterant. Quam multi nunc ægrotant, qui postquam in flumine uentriculum frigefecerunt, ac deinde propter æstum auide ingesserunt cerasa, & largius biberunt. Hinc ortæ cruditates, & putrefactiones, causæ morborũ sunt non fallentes. Econtra multi sæui morbi, si mediocris diligentia in uictus ratione adhibeatur depelli possunt. Et remedia sine hac Philosophia raro sunt efficacia.

Adhortamur itaq; uos, ut propter ualetudinis periculasitis diligentiores, & in consideratione naturæ, & in regenda uictus ratione. Plusquam ferreus est, qui tanta causa non mouetur, Sed tamen obtestamur uos etiam propter Deum, conditorem huius naturæ & iudicem, qui præcipit, ut ualetudinem tueamini, ut sitis idonei ad meditationem piam, & communia uitæ officia. Tuum cerebrum, et cor sunt domicilium Spiritus sancti, quare ut hæc membra sint idonea diuinis motibus studiose, & reuerenter ea tueamini. Quod si facietis, doctrina etiam Physica & naturæ cognitio adiungenda erit, Imo auget doctrinam hæc ipsa rerum conuenientium obseruatio & distinctio. Has admonitiones ut sepe repetamus, mandato diuino cogimur, ac

filium

filium Dei custodem Ecclesiæ suæ oramus, ut ipse quoq;
sit custos corporum uestrorum, & flectat
animos uestros ad curam tuendæ
publicæ et uestræ salutis,

DIXI.

IMPRESSVM VITEBERGÆ,
PER VITVM CREVTZER.